



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

321. An personæ Illustres, quæ obtinent licentiam à Papa ingrediendi
Monialium Monasteria aliquibus vicibus cum electis Matronis, possint illas
postea variare, si fuerint semel designatæ? Et an qui ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

periose, ac Visitatoribus, respectu Monialium subiectarum, necnon Confessario tam ordinario, quam extraordinario, licere absque licentia expressa eiusdem Sacrae Congregationis accedere ad Monasteria quarumcumque Monialium ad colloquendum, siue tractandum cum eis; siquidem Sacra Congregatio per hoc non excludit casum pietatis, & charitatis, qui regulariter non praesumitur comprehensus sub generali prohibitione, iuxta regulam; *Non veniunt sub generali prohibitione, qua quis non esset verosimiliter prohibetur, si in specie exprimerentur*, sed solum excludit casum, in quo Religiosus velit accedere ad Moniale titulo urbanitatis, ad eas visitandas, v. g. ad negotia secularia tractanda & similia.] Huicque Pellizzarius.

2. Et hanc sententiam etiam, me citato, tenet Bordonus in *consl. Regul. tom. 1. refol. 7. n. 82.* sic asserens: [Colloquens cum Monialibus, causa urbanitatis, aliqua verba, vel pro aliquo negotio honesto, vel indifferenti, & raro, non dedit opera, non peccat mortaliter: quia huiusmodi loquutiones de se malae non sunt neque tales fiunt mortiferae ex prohibitione Decreti: quia hoc fundatur in praesumptione scandalii illis verbis: *Ad occurrendum scandalis, quae contingere solent.* Hinc colligitur intelligentia responsionis Sacrae Congregationis data 1. Iulij, 1606. Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra hoc Decretum, ultra poenas priuationis officiorum, & vocis activae, & passivae, incurrere etiam poenam peccati mortalis. Dicunt enim Doctores ex ea responsione, accedentes ad monasteria Monialium peccare mortaliter: excipiunt tamen tres casus, loquutionem causa urbanitatis, instructionem in aliquo casu conscientiae, & loquutionem per interpositam personam: vnde videntur nobiscum sentire, loquutionem, praesertim de rebus inhonestis, inducere peccatum mortale; sicut & quando alloquuntur de indifferentibus saepe, & multoties: quia id est potius spernere praecipua maiorum, maxime in his, in quibus omnino abstinendum est a similibus loquutionibus, etiam honestis.] Ita Bordonus: cui adde etiam, me citato, Lezanam in *Summa, tom. 3. verb. Moniales, n. 20.*

3. Sed ego (vt legitibus patet) in 3. par. tract. 2. *refol. 104.* tantum refero sententiam Peyrini; meam autem non promo. Verum, licet speculatiue loquendo, eius sententia, & supradictorum Authorum tanquam probabilis admitti possit; tamen puto, non esse in praxim deducendam: nam Pontifex, & Sacra Congregatio absolute prohibent accedere ad Monasteria Monialium ad colloquendum, & tractandum cum eis, nec distinguunt inter colloquutionem, & tractatum causa urbanitatis, vel pietatis, & ubi lex absolute loquitur, absolute est intelligenda; & ubi non distinguit, nec nos distinguere debemus. Et si aliter diceremus, elusoria remaneret prohibitio Sacrae Congregationis: nam impunè possent Regulares semper colloqui cum Monialibus, asserendo, se colloquutos fuisse cum eis causa pietatis, & declarando eis quandam casum conscientiae. Vnde quicquid sit de peccato, quoad forum internum, stante autoritate Doctorum virorum, Lezanæ, Pellizzarii, & Bordoni, ubi supra, saltem in foro externo possent Episcopi dictos Regulares punire, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati; vnde se abstineant ab his colloquutionibus.

RESOL. CCCXIX.

An Moniales admittentes aliquem intra septa Monasterij, praesextu licentiarum incurrant excommunicationem? Et an poena imposita in Bulla Greg. VII. imponatur tantum Abbatibus, & Abbatibus Conventualibus, & non Monialibus? Ex p. 2. tr. 16. & Misc. 2. Ref. 3. i. alias 33.

§. 1. Incurrere existimant multi, & ita nocissime docuit Filliuc *tom. 1. tract. 15. c. 5. n. 119.* asserens, sic habere praxim sacrae poenitentiae.

2. Sed negantem sententiam (quam etiam probabilè & tutam in praxi esse iudico) sustinent Rodriquez in *99. regul. tom. 1. q. 47. art. 3.* & post illum Sanchez in *sum. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 84.* quibus ego addo Mirandum in *man. prael. tr. de monial. q. 2. art. 12. concl. 3.* & Barboza de *poes. Episc. p. 3. alleg. 102. n. 32.* Ratio est, quia poenae appositae in dicta Bulla imponuntur Abbatibus & Abbatibus Conventualibus. & c. Et ibi nulla de Monialibus efficitur mentio. Et tamen in dicto motu proprio volens Sum. Pontifex comprehendere sub poenis, quae cumque Moniales admittentes illos, qui ingrediuntur Monasteria cum licentia Episcopi, in casibus non necessariis totum hoc expressit, dicens *indefinite Moniales.* Ergo si idem voluisset supra in aliis poenis, hoc expressisset, sicut postea, vt diximus, expressit.

RESOL. CCCXX.

An Moniales admittentes aliquem intra septa Monasterij etiam ad malum finem, incurrant aliquam excommunicationem, videlicet Concilij Tridentini, sess. 25. c. 5. de Regulari. Et an scribens literas Moniali, & mittens incidat in censuram aduersus colloquentes cum Monialibus? Ex p. 2. tr. 16. & Misc. 2. Ref. 3. i. alias 34.

§. 1. Supra diximus, non incurrere excommunicationem inflictam in Bulla Greg. XIII. sed dubium est, an incurrant in excommunicationem laicam in Conc. Trid. sess. 25. de reg. c. 5. Negatiue vnde respondendum est, quia in textu Concilij excommunicationis fulminatur contra ingredientes Monialium Monasteria; de Monialibus, seu aliis admittentibus nullam facit mentionem, & vt supra probatum satis est, excommunicatione non extenditur de casu ad casum, etiam si similis ratio adsit. Et ita scribens literas Moniali & mittens, non incidit in censuram comminatum aduersus colloquentes cum Monialibus; vt probat Barboza de *poes. Episc. alleg. 102. n. 82.* & alij.

RESOL. CCCXXI.

An persona Illustres, quae obtinent licentiam à Papa ingrediendi Monialium Monasteria aliquibus vicibus cum electis Marronis, possint illas postea curare si fuerint semel designata? Et an, qui habet licentiam ingrediendi aliqua Monasteria, (modo quo supra) possit differre ingressum ad diem illam, in qua forte Moniales illius Monasterij habiturae sunt spirituales representationem in Refectorio, aut alio loco publico? Et aliqua alia adducuntur, quae contingere possunt in rescripto Pontificis, & supplicatione oraricis circa praedictas licentias, & praxim in illis. Ex p. 1. tr. 14. & Misc. 4. Ref. 3. i. alias 29.

§. 1. Tenor licentiarum ita ferè semper conceditur: Tibi quae, vt asseris, Venerabilis Fratris nostri N. Cardinalis N. nuncupati consanguinea existis, vt à tribus Matronis, modesto, ac decenti habitu indutis, quas semel electas nec variare, nec mutare possis, nisi alicuius earum obitu eueniente associata, & super veritate narratorum cognitione per Ordinarium loci adhibita Sancti N. ac Sanctae N. & Sancti N. Monialium Monasteria Ciuitatis N. tribus vicibus in totum, non autem eorum singula quolibet anno de eorumdem Monialium capitulariter, & per secretum suffragia praestando, & illarum Superiorum consensu.

fo, non tamen Dominicis, seu aliis Festiuis, aut Vigiliis diebus, neque Quadragesima, vel Aduentus temporibus ingredi, ac cum eisdem Monialibus conuertiari, & refectorem etiam fumere corporalem, dummodò tamen Monialium particularium Cellas præter eas, quarum causa Monasteria huiusmodi ingrediuntur, non uisites, neque tu, minisque dictæ Matronæ inibi pernoctetis, liberè, & licite possis, & ualeas Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus: non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Monasteriorum, & illorum Ordinum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alijs roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque ad quinquennium tantum ualituris.

2. Hoc supposito ex Peyrino, & Baldello Affirmatiua sententiam probabilem esse putat Pater Pellizzarius *tract. de Monialibus. cap. 5. sect. 3. num. 137.* ubi sic ait; Noto Secundò, huiusmodi matronas ubi semel electæ sunt, non posse, neque mutari, neque variari, nisi ex secuta morte alicuius illarum mutari autem est, iis pro semper exclusis, alias eligere ad ingrediendum: variari uero est pro vna vice assumere in sociam aliquam, quæ non sit ex electis, spreta aliqua ex electis, quamquam Peyrinus *in formul. lit. M. cap. 3. num. 4.* putet præfatam variationem non ita prohiberi, quin ea licite interdum possit fieri (ut si aliqua ex electis sit abiens, aut ægrotans, aut non possit alias, vel etiam nolit associare licentiam ad ingrediendum;) Probat, quia Priuilegium fauorabile late interpretandum est, idè quæ cum præsens concessio sit fauorabilis, benignè potest interpretari, quòd excludat solum mutationem, seu variationem sociarum uoluntariam, non autem necessariam, per quam dicendum est potius loco alicuius ex sociis electis aliam supplere, quàm illas mutari, seu variari: alioqui talis concessio facile redderet inutilis: cum tamen tenor illius eam indicet esse perpetuam, & beneficium Principis debeat esse mansurum. Ista doctrina uidetur satis probabilis, modò in dicta mutatione non intercedat fraus, aut dolus. Imò putant aliqui Viri docti omni exceptione maiores, à me consulti, quòd si mulier aliqua cupiat ingredi Monasterium aliquod Monialium tamquam sociam: idè quæ cupiens eligi in sociam à Fœmina habente licentiam ingrediendi, & quidem loco alterius mulieris iam electæ in sociam, & adhuc uidentis; curet, ut fœmina ista electa liberè eligat nolle pro ea uice associari: & hoc ad effectum ut illa alia mulier loco ipsius substituatur in sociam iuxta doctrinam Peyrini (suprà traditam) quam probabilem censet Pater Baldellus à me consultus in casu ueræ necessitatis) electio uidetur licita, & ualida, nec potest reprehendi, Probat; tum quia in tali casu verificatur sociam electam non uelle ingredi (ad quod parum uidetur facere quod ea nolit ingredi motu proprio, & ex se aut ex instigatione fœminæ cupientis substitui in sociam, dummodò liberè eligat non uelle ingredi & consequenter adest iusta causa faciendi præfatam substitutionem alijs concessam; tum quia mulier, quæ sic curat eligi in sociam, uerè non potest dici facere fraudem; cum alioqui simpliciter loquendo, eligi possit in sociam, & nullo iure prohibeatur indicare fœminæ iam electæ in sociam desiderium, quod habet ingrediendi; quantumuis præuideat ex tali notificatione mulierem iam electam in sociam inductum iri ad nolendum tunc associari, ut gratificetur; quod est illam uti iure suo; non facit autem fraudem qui utitur iure suo. Et hæc doctrina à fortiori procedit, etiam in sententia Patris Baldelli superius relata, in casu quo mulier electa in sociam ingrediatur Religionem, idè quæ non possit

associare fœminam priuilegiatam: cum in tali euentu concurrat casus ueræ necessitatis, non autem libera uoluntatis; & uerba illa Breuis Pontificij: quas semel electas, nec variare, nec mutare possis nisi alicuius earum obitu occurrente benignè explicari possint, ita ut extendantur ad quencumque aliu in casum similem: siquidem facultas ingrediendi Monasteria Monialium est beneficium, & gratia; beneficium autem Principis deest esse mansurum, & latam admittit interpretationem. Sic ego respondi in facti contingencia, & sic de facto me consulente practicum est. Hucusque Pellizzarius.

3. Sed ego adhæreo opinioni negatiuæ, quam tenetur doctus, & amicissimus Pater Bordonus *in Decisionibus Miscell. decij. 83.* Tum quia uerba Priuilegij, casum mortis tantum exprimunt: ergo alij excluduntur cum nulli alij similes casus mortis dentur. Tum quia casus mortis arguit necessitatem mutationis, quod non faciunt alij casus. Tum quia casus mortis non dicitur expressus per modum exempli sed præcisè, limitatiuè, & taxatiuè: neque enim mors similes casus habet, ex sua igitur natura excludit consortium quorumcumque caluum, *arg. cap. 7. sess. 14. in Tridemi de absolute negata à casibus referuatis, excepto mortis articulo*, unde constitutus in necessitate celebrandi, non potest absolui à simplici Sacerdote à referuatis, quia casus mortis excludit à se quoscumque alios casus: sic in præsentibus, casus mortis excludit à se quoscumque alios, ita ut matrona electa mutari non possit ex quouis alia causa superueniente, siue morbi, quia potest expectari ut sanitati restitatur, siue absentia, quia uocari potest, si uè nolendi associari, quia tenetur cum electa fuerit scienter ad hoc, & quod ab initio placuit, amplius displicere non debet: præterquam quod huiusmodi nolitio non uidetur habere locum, nisi ex malitia & conuientia Domine, ut altera forsitan curiosa assumatur in sociam. Demùm agitur de priuilegio contra clausuram Monialium, quam magni æstimant Summi Pontifices, nè in minimo quidem uioletur quoad fieri possit: ergo præsumendum est, & inferendum, priuilegium non esse ampliandum, sed intelligendum prout sonat.

4. Nota etiam hic obiter, quod Pater Pellizzarius *ubi supra. num. 142.* putat ut ipse ait, posse non improbabiler, qui habet licentiam ingredi aliqua Monasteria, modo quo supra differtur ingressum ad diem illum, in qua forte Moniales illius Monasterij habituræ sunt spirituales representationem in Refectorio, aut alio loco publico. Ducor, quòd potest liberè eligere illam diem, prout ipsi magis libuerit, dummodò non sit ex diebus in concessione prohibitis: ex alia parte potest accedere ad locum: in quo facienda est representatio, ibique liberè commorari (ut suppono:) quid ergo obstat quin licite possit ingredi dicta die ad effectum interessendi illi representationi: ita ego consului in contingencia facti, & approbarunt uiri sanè docti. Hæc Pellizzarius.

5. Sed quid dicendum, si in Breui concessionis nominentur quatuor Monasteria, (quod interdum fit) & nihilominus in eo dicatur, tribus uicibus in totum, &c. in tali casu fœmina priuilegiata quolibet anno ingredi poterit solum tria ex dictis Monasteriis, uo illorum iuxta electionem ab ea liberè faciendam omisso. E contra, si in breui nominentur solum duo Monasteria, (quod etiam aliquando fit,) & tamen apponatur clausula, tribus uicibus in totum, &c. tunc mulier priuilegiata quolibet anno poterit bis ingredi, unum ex nominatis Monasteriis, semel tantum ingrediendo aliud Monasterium item nominatum: alias, si semel solum liceret ingredi quolibet anno quolibet dictorum duorum Monasteriorum, inutilis esset concessio trium uicium; cum alioqui actus semper

exemplari debeat potius ut valeat, quam ut corruat. *leg. Quoties in additionibus ff. de rebus dubiis. Et ita tenet Pellizzarius loco citato, n. 139. asserens ita secum sensisse quatuor viros doctissimos suae Societatis.*

6. Verum in hac difficultate Pater Bordonus ubi supra in *Decisionibus Miscellan. decis. 86.* putat, quod si Oratrix petiit in supplicatione gratiam pro quatuor Monasteriis eo in calu posse ingredi singula illorum pro vna vice tantum, licet addit illa clausula: *Tribus vicibus in totum*, quia scriptura praesumitur digesta errore Scripseris, qui non aduertit ad tenorem petitionis, & gratia facta. Ratio est, quia Princeps solet se accommodare precibus sibi porrectis, *leg. Sic preces ff. de legibus, cap. Inter dilectos ff. Ceterum de fide Instr. ubi gloss. verb. Peritioni*, ait responsum conformari petitioni: sed Oratrix, ut suppono petiit gratiam ingrediendi quatuor Monasteria, & obtinuit quia illa exprimitur in Rescripto Pontificio: ergo cum gratia efficaciter facta fuerit, praesumendum est, Scribam vsu styli Ordinarij inaduertenter errasse. Quod si Oratrix petiit ingressum ad tria, & Rescriptum est ad quatuor, abtineat ab ingressu eius, de quo non fecit mentionem in supplicatione. Si Rescriptum sit ad duo Monasteria, cum expressione trium vicium, vnum illorum bis ingredi non potest, cum certa regula sit, non concedi duplicem ingressum, & gratia facta sufficienter sortitur suum effectum. Hac Bordonus.

RESOL. CCCXXII.

An Episcopus possit dare licentiam, ut nuptia intret in Monasterium ob periculum vite?

Imò in dicto casu nuptia intrans, an incidat in excommunicationem in Concilio impositam?

Et quid de vidua bonae famae, quae cupit honestatis gratia intra Monasterium manere? Ex p. 3. tr. 2. Rel. 130.

§. 1. **R**espondet affirmatiue Azorius *tom. 1. l. 1. c. 8. q. 4.* ubi docet posse recipi intra clausuram licite viduam bonae famae, quae cupit honestatis gratia intra Monasterium manere. Item posse recipi feminam de licentia Episcopi de adulterio suspectam apud virum suum, eaque de causa vite periculum certo timet.

2. Sed contrariam sententiam prorsus sustinendam esse puto, quam tuetur Portel in *addit. ad dubia Regul. ver. clausura Monialium. n. 2.* ex declaratione Cardinalium facta Episcopo Salmantino, quae sic habet. Non licet Episcopis vel permittere, vel licentiam concedere mulieribus, ut ex causa liciti matrimonialium, adulteriorum, ac dissensionum inter viros, & vxores apud Monasteria Monialium sequestrentur securitatis gratia, imò ingredientes incidere in excommunicationem à Concilio impositam. Et hanc declarationem adducit etiam Hieronymus Rodriguez in *compend. qq. Regular. resol. 26. num. 15.*

RESOL. CCCXXIII.

An licentia Episcopi sit necessaria pro ingressu Religionis, quando vxor ex consensu viri vult in ea profiteri?

Et an saltem pro licito ingressu necessaria sit licentia Episcopi? Ex p. 10. tr. 12. & Misc. 2. Rel. 57. alias 56.

Sup. hōc in tom. 6. tr. 6. Rel. 222. lege doctrinam §. Norandū est.

§. 1. **A**d hoc dubium negatiue respondet Basilius Pontius, de *Matrim. lib. 9. cap. 12. n. 1. & 2.* ubi sic ait: Ut post consummatum Matrimonium transeat aliquis ad Religionem licite, & seruatis his, quae iure seruari debent, non solum requiritur licentia alterius Coniugis, sed vterius exigitur, quod si

consentiat vir, ut vxor Religionem ingrediatur, ipse etiam ingredi debeat, neque possit in saeculo remanere, *cap. Agathosa, cum seqq. 27. quast. 2. & cap. Qui vxorem 3. quast. 5. & cap. Cum sis, & cap. Cum vxor atque conuers. con. 10.* Nisi fortasse vir sit adeo proiecta aetatis, ut in saeculo sine periculo manere possit: vel nullo vir creetur Episcopus. Si enim ex Religio potest assumi in Episcopatum, etiam antequam ingrediatur Religionem assumi poterit. Similiter si vxor conuertatur, ut in Religionem ingrediatur, illa etiam compellitur intrare Religionem, neque in saeculo remanere permittitur, nisi prouideat sit aetatis *cap. Vxoratus, cap. ad Apostolicam, cap. Significauit. 18. de censur. coniugat.* Eadem enim est vtriusque ratio, & per conditio. Atque iuxta hanc intelligendus Textus in *cap. 1. de conuers. coniugat.* ne repugnet aliis in quibus magis distincte locuti sunt Pontifices. Nisi dicatur tempore Alexandri III. non esse praecipuum, ut sententiae ad Religionem transirent, sed promissa continentia in saeculo remansisse. Praeter licentiam Coniugis, Episcopi licentia de necessitate non requiritur, neque ad valorem professionis, neque ex necessitate praecipuum, neque ut Coniux postea reuocari non possit à manente in saeculo. Et quamuis in *cap. Si vir, & vxor. 27. q. 1.* indicari videatur licentiae necessitas, attamen neque irritus dicitur actus, & praeterea non constat in eo mentio de ista specie sermonem esse, & denique iam vni abolitum est illud praecipuum, si quod extitit. Neque enim consuetudine receptum est, ut petatur Episcopi licentia. Hucusque Pontius; & ante illum Sanchez *lib. 7. disp. 1. 2. n. 3.* quorum sententiam noscimus sequitur doctus, & amicus Pater Martinus Perez de *Matrimonio disputat. 38. sect. 5. n. 6.* cum non appareat vllum ius, vllus textus tale praecipuum imponens. Nam quem allegant aduersarij, *ex cap. si vir, & vxor.* probatissimi Doctores inter quos Glossa ubi *verb. Conscientia*, asserunt in eo textu de ista specie sermonem esse. Quia potest intelligi, quando Coniugati volunt Monasterium construere, ad quod transeat sine licentia Episcopi, quod fieri non potest, quia id sine Episcopi facultate adificari nequit, *cap. Nemo de consecr. dist. 1.*

2. Sed licet haec sententia sit satis probabilis, cum sit tantorum hominum auctoritate fulta, ego tamen adhuc affirmatiue sententiam dico itaque praedictam licentiam ad valorem professionis necessariam non esse; quia nec Textus in *cap. Si vir, & vxor.* neque vllus alius pro valore professionis requirit licentiam Episcopi. Maior difficultas est, an pro licito ingressu necessaria sit? Doctores superius citati sententiam vt visum est, nullum esse latum praecipuum in dictis capitibus; & si forte latum sit, iam consuetudine esse abolitum. Ceterum verius censo, & praecipuum latum fuisse in dicto *cap. Si vir, & vxor.* illa enim dictio, *nullatenus*, necessitatem importat saltem praecipuum. Neque in contrarium est consuetudo, quia potius solitum est licentiam Episcopi postulari in praedicto euentu, vt tradit Glossa in *d. cap. 1. de conuers. coniugator.* Etenim cum Episcopo competat examinare, & iudicare, an Coniux dans licentiam teneatur Religionem ingredi, vel satisfaciatur obligationi votum castitatis emittens necessario dicendum videtur licentiam Episcopi requiri, maxime eo casu, quo Coniux praebens licentiam ad Religionem non transiret. Et ita hanc sententiam tenet Caelestrus Palauus, *tom. 5. disp. 3. punct. 6. §. 1. numer. 1. & ante illum docuerat Layman lib. 5. tract. 1. cap. 3. §. 7. num. 3.*